NICETAS REMESIANENSIS. ORIGENES

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36566
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

erant carnalis israhel in quo mihi uidetur forma totius nature ratio-
nabilis contineri. Duodecim namque putantur esse generales or-
dines rationabilis creature. quorum figura erat in illis xii
tribubus in quibus erat unus quidam ordo regalis quibus iudas
nominatur. Alius erat ordo sacerdotalis et leui appellabatur.
Erat autem et alius ordo iude uicinus qui beniamin dicitur: in quo or-
dine templum dei et altare collocatum est. Alius isachar et za-
bulon et effraim. aliique quos nominatim designat scrip-
tura diuina quorum rationem non est nunc tempus explicare. Est
tamen uniuscuiusque tribus uel ordinis panis ante dominum. Et licet
sit aliqua tribus que non ex libera sed ex concubina israhel des-
cendat. et ex parte libera et ex parte seruilis sit. tamen pro
omnibus ex duabus decimis panis proponitur ante dominum. et in
uniuersis due decime similaginis constant. Proponi autem
iubentur super mensam mundam. Quis est nostrum qui ita habeat
mensam mundam. ut panes super eam domino offerantur?
Si sederis inquit salemon cenare ad mensam potentis. in-
telligibiliter intellige que apponuntur tibi. Que est ergo men-
sa potentis. nisi mens illius qui dicebat. omnia possum in eo qui
me confortat christo. Et cum infirmor: tunc potens sum. Iustius
potentis mensa munda. hoc est iustius corde. iustius men- potentis
te domino panes offeruntur. Ad huius potentis apostoli mensam si
sedeas cenaturus. intelligibiliter intellige que appo-
nuntur tibi. hoc est spiritaliter aduerte que dicuntur ab eo. ut et
tu facere possis. quia talia te oportet preparare. Sed uidea-
mus quomodo hi duodecim panes proponantur. Due inquit positio-
nes in una positione sex panes. Putasne otiosa est ista
diuisio. Vide quomodo duodecimus numerus iterum partitur
in sex. Habet enim propinquitatem quandam cum hoc mundo